







10189

23

DE  
IVRIBVS SINGVLORVM HOMINVM NA  
TVRALIBVS PROPTER SOCIETATEM  
CIVILEM IMMVTANDIS

1788 6

O R A T I O

IN IPSIS VTRIVSQVE LAVREAE CONFERENDAE  
SOLEMNIBVS

P V B L I C E R E C I T A T A

V I T I S Q V E

VIRORVM PLVRIMVM REVERENDORVM CLARISSIMORVM  
ET DOCTISSIMORVM

QVI PHILOSOPHIAE DOCTORES

RENVNCIATI ET CREATI SVNT

D. XXX. APRIL. CIOIDCCLXXXVIII

NEC NON

MATRONAE ORNATISSIMAE ET VIRI EXCELLENTISSIMI  
DOCTISSIMI AMPLISSIMIQVE

Q V I B V S

SVMMI POETICES HONORES

E O D E M D I E

TRIEVTI SVNT

P R A E M I S S A

A

CAROLO FERDINANDO SCHMID  
PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE MORAL. ET CIVIL. PROF. PVBL. ORD

VITEBERGAE


LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII



DE  
 VARIIS SINGULORVM HOMINVM IN  
 TVALIBVS PROPTER SOCIETATEM  
 CIVILEM IMMVTANDIS  
 O R A T I O  
 IN IPSIS VTRIVSQVE LAVREAE CONFERENDAE  
 SOLEMNIBVS  
 PVBLCIS RECITATA  
 AVTISTVSQVE  
 VTRORVM PLVRIMVM REVERENDORVM CLAUSSIMORVM  
 ET DOCTISSIMORVM  
 QVI PHILOSOPHIAE DOCTORES  
 RENVTICATI ET CREATI SVNT  
 D. XXX. APRIL. MDCCCXXXVII.  
 REC. NON.  
 NATIONALIS ORNATISSIMAE ET VIRI EXCELLENTISSIMI  
 DOCTISSIMI AMPLISSIMIQVE  
 QVIVS  
 SVMMI POTESTES HONORES  
 F O R M E D I E  
 P R A E M I S S A  
 A  
 CAROLO FERDINANDO SCHMID  
 P R O F . ET H I S V T R I V S Q V E D O C T O R E M O R A L . ET C I V I L . P R O F . P R A E S I D .







MAGNIFICE RECTOR ACADEMIAE  
 PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI  
 SVMME VENERANDI ILLVSTRES EXPE  
 RIENTISSIMI EXCELLENTISSIMI AM  
 PLISSIMI AVDITORES CVIVSCVNQVE  
 ORDINIS HONORATISSIMI  
 COMMILITONES GENEROSISSIMI NOBI  
 LISSIMI HVMANISSIMI

Quamuis Q. HORATII FLACCI, homines primis prore-  
 plisse terris, ceu animalia, quae vnguibus et pugnis, de-  
 inde fustibus inter se pugnarent, donec verba nominaque inue-  
 nerint, bello abstinere, oppida munire, legesque ponere coepe-  
 rint, docentis \*) sententiae adcedere non possim, quum, leges

A 2

\*) Sermon. L. I. Sat. 3. v. 99. et seqq.







antiquissimas sanctissimasque ex rerum hominumque natura facile colligendas, furtum, latrocinium omnemque iniuriam prohibentes, ab orbis terrarum initio hominibus colendas custodiendasque fuisse, persuasum mihi habeam; nihilo tamen minus, ad ipsius Poetae exemplum, iura, ut fatear necesse est, inuenta fuisse metu iniusti, legibus nempe civilibus hominum, qui, ab improborum maleficorumque inimicitis quo viverent magis securi, societatem inierunt, iura esse immutata societatisque indoli adcommodata, immo etiam aucta, ita, ut recens quasi inuenta viderentur. Quemadmodum eos inter civis, qui pactum contraxerunt, pactum ipsis aliquid faciendum vel omitendum iniungens legis habet auctoritatem, legis, inquam, iuxta cuius normam nemo praeter paciscentes agere tenetur, paciscentibus vero paullulum plus, quam ex naturalium perinde atque civilium legum praeceptis a se inuicem exigere licet: ita etiam societas, cuiuscunque generis sit, quoniam pacto innititur, legem constituit inter socios, quorum iura, ut societatis fini satis sunt consentanea, ab hominum extra societatem degentium iuribus quam longissime recedere debent. Iura quidem, quae humanitatis ergo hominibus competunt, nisi humanitatem ipsam extirpaueris, neque deminui, neque augeri unquam posse videntur. At haec ipsa iura, licet vario modo immutata fuerint, quo melius hominum negotiis adplicarentur, eiusdem tamen generis esse minime desinunt. Si homines animi corporisque vires boni cuiusdam obtinendi gratia coniunxerint





rint vno eodemque proposito consociati, nihil profecto impedit, quo minus duplici ratione eos eorumque iura consideremus. Socii enim quatenus exhibent vniuersitatem, cui iura singulorum hominum tribuenda sunt, quin iuribus ab humanitate profectis vtantur, non est, quod dubitemus. Quibus quidem iuribus efficitur, ne vlla hominum vniuersitas ab hominibus siue alii, siue nulli vniuersitati adscriptis impetatur, vel vexetur, siquidem omnes, vniuersitatem infestandi cupidos, oportet metuere, ne acerba coercitione repullentur. Vnde adparet, iura hominum singulorum connata, vt vocant, ipsis conseruandis peridonea, nulla indigere mutatione, vt ad socios vniuersos transferantur. Sociis autem, quatenus singuli singulis opponuntur, vinculum propter, quo continentur, aliis opus est iuribus, quo magis mutuo auxilio adiuentur, quoque facilius bonum, quod sibi proposuerunt, consequantur. Sociorum igitur quilibet munitus est facultate efflagitandi a socio, vt faciat, quidquid ad bonum publicum pertinet, operas suas in publicam conferendo vtilitatem; vt nihil omittat, quo publicae securitati inferuire possit, atque omnia, quaecunque publicae saluti metuenda sint, strenue diligenterque remouere adnitatur. Iuribus tamen, quae ex societate exoriuntur, quoniam socii naturam humanam minime exuunt, iura singulorum hominum connata neque excluduntur, neque infirmantur; immo etiam illa sine horum adiumento firmitatis auctoritatisque vix aliquid habent. Quid enim socio prodest ius postulandi a socio, vt





communi salutem quam maxime studeat, nisi hoc iure simul coniungatur ius laesi contra laedentem, hoc est, ius socium, officia socio debita facere recusantem, violentis remediis compellendi, ut ad sanio rem mentem redeat? Quam quidem ob causam iura sociorum peculiaria ex eiusdem, ac hominum nondum consociatorum iura, profluunt legis iussu: ne quis alterum laedat! Ius autem, quo socius laesus utitur contra socium laedentem, longe aliter sese habere, quam id, quo homini sese defendere contra hominem concessum est, quis est, qui non intelligat? Singulorum enim sociorum salute, quae eius generis est, ut salutem societatis posthaberi possit, cum integritate atque prosperitate uniuersorum sociorum concurrente, sicuti singulorum commoda commodis uniuersorum cedunt; ita etiam ius omnes iniurias quocumque modo vindicandi, ex solo hominum societatis vinculo minime obligatorum arbitrio exercendum, haud parum limitatur suprema societatis lege, ut cuius sociorum cuiuslibet damnum, quo salutem publicam quantumcunque fieri potest augenda inferuiat, perferendum est, ideoque sociorum quemlibet oportet propria iniuriam persequutione sese abstinere, ne publicam pacem tranquillitatemque, quam turbare sociorum nemini fas est, lacestat. Quae quidem omnia in unaquaque hominum consociatione non minus locum habent, quam in ciuitate, quae societas nuncupatur inaequalis propter potestatem imperiumque populi, vel principis, qui populi sustinet personam. Imperium autem, cui singuli ciues subsunt, est populi vel





vel principis potestas, quid ciues faciant omittantue, vt publica salus, quae conseruatione, commoditate iucunditateque vitae absoluitur, recte procuretur, praecipendi, ciuesque, vt pro viribus suis felicitati communi inuigilent, si nolint, cogendi. Et quot quantaque iura imperio continentur ciuili! quibus iura singulorum ciuium necesse est, vt vel deminuantur, vel, etiam si augeantur, aliam certe induant formam. Ita facultas faciendi, quod ad forum pertinet humanum, quodcunque velis, siue libertas, leges ferendi potestate, quae praecipua est pars imperii ciuiliis, mirum in modum circumscribitur. Ius e contrario securitatem nostram curandi ea facultate, qua ciuitas aduersus peregrinorum impetum defenditur, singulique ciues a ciuium violentia immunes redduntur, quamuis non tam a singulis exerceatur ciuibus, quam a ciuitate eiusus rectore, sustentatur tamen potius, quam restringitur. Satis exinde patet, iura singulorum hominum naturalia societate ciuili valde immutari, eorumque immutatione opus esse ad ciuitatem constituendam atque muniendam. Quum itaque operae pretium esse videatur, maiori cum diligentia indagare, quibusnam iuribus singulorum hominum siue connatis, siue ex legum naturalium norma adquisitis, societatem propter ciuilem aliquid detrahi vel etiam addi debeat; meumque sit, Philosophiae Doctorum Poetarumque laurea donatorum publice renunciandorum solemniam, ex more institutoque maiorum vt rite celebrentur, oratiunculae qualiscunque recitatione auspiciari: pace Vestra, Magnifice Rector





Stor Academiae, Auditoresque honoratissimi atque humanissimi, potiora singulorum hominum iura ab humanitate deriuanda, quemnam ad modum societate ciuili varientur, pluribus commonstrare mecum constitui. Quod ad iura attinet, quibus a natiuitate statim exornati sunt homines, omnium praecipuum atque summum esse videtur ius, vi cuius hominum quisque animi corporisque sui dotibus libere vtitur quemadmodum placet, dummodo alteri nullum exinde exoriatur damnum. Ex eodem iure prouenit alia, qua homines praediti sunt, facultas virium suarum abusu sibimet ipsi pessime consulendi, ab aliis, huiusmodi abusu minime laesis, neutiquam cohibenda. Quibus quidem iuribus adnexa est potestas impediendi, quo minus illorum iurium exercitio vnus vel alter obstet. Ciucs his omnibus iuribus in totum fere destituuntur. Quamuis enim ab ipsorum pendeat arbitrio, artem viuendique genus eligere, cui se mancipient; quamuis iisdem quoque liberum sit, ingenii corporisque viribus male vti: minime tamen limites desunt, quibus cauetur, ne effrenata ciuium licentia rempublicam euertat. Parentum potestati liberos subditos esse in ciuitate, eo consilio, vt a teneris non modo sibi, sed etiam aliis viuere discant, non modo suae, sed etiam publicae saluti iuandae adsuescant, neminem fugit, ciucs non minus nasci, quam fieri, intelligentem. Officium deinde, quo ciucs ad vnum omnes non solum tenentur, vnde respublica detrimenti quid capere possit, omittere, sed etiam summo studio adlaborare, vt vniuersorum ciuium felici-





felicitati quotidie aliquid adiiciatur, efficit, vt ciuibus minime integrum sit haesitare, reipublicae vtilissimas operas vtrum praestare, an recusare; viresque suas ciuitatis vtrum incremento, an exitio impendere velint. Ciues praeterea ingenii corporisque viribus peruerse vt vix possunt, quin alios prauissimo suo exemplo corrumpant, atque, animos moresque ciuium perdendo, grauissimum reipublicae vulnus insigant, digni profecto, qui poenis subiiciantur, vel a ciuitate ceu inutilia perniciosissimaque membra rescindantur. Iuribus hominum connatis adnumerandum procul dubio est ius actiones suas ad nullius hominis decretum componendi. Verum enim est, quam quod verissimum, homines ab omni societate alienos maxima frui libertate, quum societate deficiente legitima ratio deficiat, cur alterius potestati imperioque aliquis subiectus esse praesumatur. Cui quidem facultati, quod ad homines pertinet, viuendi vtcunqve velis, haec vnica additur a legibus naturalibus limitatio, ne hominum cuiquam libertatis vsu noceatur. Quam ob causam homines, ad solam libertatem naturalem si prouocent, omni iniuria serio quidem abstinere, minime vero in alterius vtilitatem aliquid facere tenentur. Ast tamen ciuium libertatem naturalem multum arctioribus finibus limitari, non est, quod miremur. Ciuis enim notio ita est comparata, vt, nisi imperium supponamus ciuile, siue ius, quid a ciuibus publicae salutis causa fieri debeat, praescribendi, spontanea ciuium subiectione introductum, plane cogitari non possit. Sequitur autem





ex ipsius imperii ciuilibus natura, ciues libertate sua se abdicare eo consilio, vt vniuersorum felicitati satis prospiciatur. Sub- sunt ergo ciues legibus a summo imperante ciuili conditis in tantum, quantum commune ciuitatis bonum postulat. Quae- cunque itaque rei, de qua ciues inter se conuenerunt, obtinen- dae parum vel nihil conducunt, ea nihil obstat, quo minus ci- ues secundum libertatem naturalem perpetrent, ita tamen, vt nullum ciuitas exinde sentiat damnum. Quae quum ita sint, ciues imperio ciuili subiecti legibusque ciuilibus adstricti, ideo- que maxima ex parte libertate naturali destituti, quam multum differunt ab hominibus, quorum libertati tales limites nondum sunt constituti. Homines, quamdiu in ciuitatem non coalue- runt, quoniam eiusdem sunt naturae, iuribus ab ipsa natura humana proficiscentibus distingui minime possunt, vtpote qui iisdem officiis obstricti ad vnum omnes iisdem iuribus gaudent. Ex hac officiorum iuriumque aequalitate repetendum est ius, quo homines societatis inaequalis adhuc expertes erga se inui- cem vtuntur, prohibendi, quo minus quis, plura maioraque iu- ra prae caeteris adfectando, iurium aequalitatem ad nihilum re- digat. Ciues quum sua sponte imperio sese submiserint, eo- que ipso iurium aequalitati in perpetuum renunciauerint, per- peram sibi vindicant facultatem postulandi, vt iurium aequali- tas inter ipsos adhuc obtineat. Ciues ergo, quorum est obtem- perare ciuitatis vel principis iussui, vnde inferiores subditique vocari solent, manifestum est, minus iurium habere, quam  
 ciui-





ciuitatem, vel principem obsequium ab ipsis exigendi potestate praeditum. Neque ipsi ciues summo imperante inferiores iurium ratione sibi pares deprehenduntur. Innumera enim negotia ob reipublicae salutem gerenda, ab vniuersis ciuibus, sicuti a principe, minus commode expedienda suadent, vt singula singulis ciuibus demandentur. Quae quidem publica negotia, a ciuibus subditis administranda, munera officiaque publica, ciues autem publicis muneribus praefecti, officiales publici dicuntur. Quemadmodum igitur munera publica eos ciues, quibus commissa sunt, singulari adpellatione iam clariores reliquis ciuibus reddunt, ita etiam eosdem, quia idonei visi sunt muneribus publicis curandis, caeteros, qui muneribus publicis non perfunguntur, dignitate atque honore antecellere, manifestum est. Legem illam vniuersalem, qua homines ab iniuriis committendis arcentur, alia sequitur lex, qua homines sibi inuicem fraudes moliri infidiasque parare prohibentur. Quaecunque enim fraus ad alterum circumueniendum adhibita simul ac alteri innotuerit, tamquam declaratio propositi alterum laedendi, pro iniuria accipitur imminente, quam praecauere hominum cuilibet licet. Num vero ciues quoque eum, qui laesionem se meditari significat, antequam laedere inceperet, iusta vi adigere possunt, vt animum fraudulentum abiciat? Minime. His enim non desunt, qui singulorum pariter atque vniuersorum securitatem contra omnia, quae ab improbis excogitantur, mala satis confirmare student, iudices, quorum auxilium facile impetrari potest ab omnibus, qui, perditorum





rum ciuium malignitate ne vexentur, metuunt; iudices, inquam, potestate muniti amplissima nocentes prauosque homines castigando, detinendo, ex ciuitate eiiciendo anxii adflictisque ciuibus succurrendi. Ex hoc autem, quod singulorum securitatem ciuium sua auctoritate potestateque iudices augent, singulisque ciuibus ius, uti vocant, praeventiois plane ademptum esse videtur, non est, quod inferamus, ciuitate constituta, huiusce iuris nullum superesse usum, propterea quod iudices ideo potius eliguntur in ciuitate, ut eorum, qui suum implorant auxilium, sustineant personam; ut damnum aliis illatum, quasi ipsi damno sint adfecti, vindicent; ut periculis, quae ab aliis metuuntur, quasi ipsis immineant, fortiter obstant, ita tamen, uti leges ciuiles permittunt, eaque moderatione, quam salus reipublicae praeslituit. Vnumquemque hominum ex Iuris Naturae decretis iustum nasci, iustumque eoque habendum esse, donec tale documentum ediderit, ut de ipsius iniustitia dubitari ulterius non possit, inter omnes constat. Quum itaque illicito facinore opus sit antea, iniustitiae quam inculsari quis potest, facinus autem an re vera patratum sit ab eo, in quem suspicio cadit, extra omnem dubitationem prius positum esse debeat, quam quis turpis facinoris auctor declarandus est; sequitur, exactissimam inquisitionem probationemque omni exceptione maiorem semper antecedere debere iudicium, quo quis iniustus pronuntiari queat. Is ergo, qui improbi facti scelerisque alterum insinulat, neque habet, unde insimulationis argumen-  
tum



tum petat probandae; priuare alterum intendit iure suo, secundum quod ipsi fas est exigere, vt iustus praesumatur. Quoniam vero leges naturales hominum quemque facultate donarunt cauendi, quantum fieri potest, ne iure suo depellatur; facile est intellectu, contemptum, vituperationem calumniamque a quolibet quocumque modo recte vel puniri, vel reprimi. Bonae existimationis damnum, ceu maximum felicitatis suae adaugendae obstaculum, ciues eo magis auerfari solent, quo magis intelligunt, alii si de ipsis male iudicent, consistendum sibi esse cum pluribus et iniquissimis hostibus in ipsorum quasi perniciem coniuratis. Manifestum igitur est, ciuibus, quos oportet, contemptum, vituperationem calumniamque quam enixissime propulsando, prospicere famae suae integritati conseruandae, ius quoque patere, quo ab ipsa natura exornati sunt, curandi, ne ullam bonae existimationis iacturam faciant. Nihilo tamen fecius ciues fama temere a ciuibus imminuti, ita, vt furibus, adulteris, latronibus caeterisque legum ciuilium neglectu praecularis pares habeantur, id est, infamia notentur, a propria iniuriarum persecutione publicae tranquillitatis non turbandae officio arentur; ideoque, ciues quia facultate quaeumque famae suae violationem pro ipsorum lubitu vindicandi excidunt, omnis eorum bonae existimationis ab iniuriis defendendae cura friuola atque inanis esse videtur. Quid? Nonne adsunt in ciuitate iudices, sicuti omnium, quibus doli insidiaeque tenduntur, paratissimum praesidium, ita etiam omnium contumeliis op-





pressorum propugnatores vindicesque grauissimi, quorum aucto-  
 ritate potestateque, maledicorum procacitatem compefcente,  
 fieri non potest, quin ciuium fama praestetur integerrima. Ho-  
 minibus natiuitate sua adquiritur ius omnibus rebus ad vitae ne-  
 cessitatem, commoditatem iucunditatemque pertinentibus vtendi,  
 tamquam vitae conseruandae lautiorisque vitae conditionis  
 obtinendae subsidiis, quibus destitutus nemo hominum ab in-  
 teritu sese liberare, nemo commodioris iucundiorisque vitae  
 compos fieri potest. Quae quidem hominum facultas ex omni-  
 bus rebus nullius adhuc dominio subiectis quaecumque vtilitatem  
 hauriendi ab hominibus secundum solam naturae legem viuenti-  
 bus, dummodo nullius iura violentur, nihil vetat, quo mi-  
 nus pro lubitu exerceatur. Ciuibus e contrario huius circa re-  
 rum vsum libertatis parum vel nihil reliquum est, propterea quod  
 vix aliquid deprehenditur in ciuitate, quod in nullius constitu-  
 tum sit dominio. Rerum autem dominio semel stabilito, nemi-  
 ni licet alienis rebus vti inuito domino, cui competit ius rem  
 suam sibi retinendi ex eaque quoscunque fructus percipiendi,  
 adeo, vt nihil exinde ad alios redundet. Rerum tamen domi-  
 nium, quod ciuibus concessum est, quam multum distat ab il-  
 lo, quod homines per rerum occupationem traditionemue nan-  
 ciscuntur! Domino enim, qui ciuis non est, quidquid vtilita-  
 tis ex re sua prouenit, adquiritur vna cum potestate id omne in  
 suum vsum conuertendi. Minime itaque aliquis tenetur lucrum  
 operis suis partum fructusque ex suo fundo profectos cum aliis  
 homi-



hominibus communicare, quia ab vlllo homine cogi non potest, vt ipsi de suis copiis aliquid largiatur. Quot vero quantosque limites dominorum iuri rebus suis vtendi, fruendi vtcunque lubet, positos esse in ciuitate, animaduertimus! Ciuitatis enim salus quoniam sine impensis procurari nequit, siquidem multis opus est rebus reipublicae inseruientibus magno pretio comparandis, ciues, quorum est suo quoque detrimento, quantum aequum est, ciuitatis augere felicitatem, obligantur paullulum aliquid e peculio suo in commune conferre. Est ergo penes ciuitatem imperantemque ciuilem ius, vi cuius exigit, ciues subditi vt publicos ferant sumtus, pro opum diuersitate aliquid publicae vtilitati contribuentes. Quod a lege naturali datum est domino, ius de re sua libere disponendi efficit, vt domino, imperio ciuili minime subiecto, liceat rem suam pro arbitrio suo perdere atque consumere. Ciues quamuis, vti ipsis placet, res suas possint conseruare, vel destruendo delere, ab imperante tamen magistratuque ciuili serio admonentur, ne dissolutissimis moribus dediti rem familiarem negligent adeo, vt ipsis mox nihil restet, vnde reipublicae procurandae aliquid impendere possint. Sed et alia huius iuris, domino summam tribuentis libertatem quidquid velit circa rem suam decernendi, inter ciues obtinet limitatio, quae proficiscitur ex iure supereminentis dominii. Competit enim, vti HUGO GROTIVS \*) docuit,

\*) De Iure B. et P. L. II. Cap. XIV. §. 7. et L. III. Cap. XX. §. 7.





cuit, ciuitati, vel eius nomine summam potestatem habenti ius supereminens dominii in res ciuium subditorum, non quidem promiscue, sed quatenus communiter expedit, vi cuius res ciuium proprias auferre atque in utilitatem publicam vertere licet. Ex hac ipsa supereminens dominii descriptione ratio factis adparet, cur ius dominii iusto legitimoque modo quaesitum ciuibus subditis praeripi possit, summam scilicet propter necessitatem, vbi pauci vt aliquid amittant melius est, quam vt res publica de sua salute periclitetur; insimulque facile colligi potest lex, secundum quam istius dominii exercitium sicuti sola ex utilitate publica dirigi oportet, ita etiam, si fieri potest, ei, qui suum amisit, compensatio ex communi debetur. Sic tempore belli agri, qui ciuium sunt subditorum vi dominii supereminens occupantur, vt in iis castra poni, aut munimenta exstrui possint; domus aliaeque res ciuium subditorum propriae vastantur, ne iisdem hostes potiri queant; granaria singulorum aperiuntur, vt communi calamitati subueniatur. Quoniam cuilibet hominum fas est retinere id, quod iusto modo adquisiuit, ideoque ab ipsius arbitrio pendet, vtrum id reseruare, an iterum abiicere malit; sequitur, dominum iure dominii prius non posse ab aliquo priuari, quamdiu ipse eodem iure sese non abdicauerit. Quam ob causam dominium perpetuum praesumi oportet, hoc est, dominus censeri debet rerum suarum dominio renunciare minime velle; iusque domini, citra expressam ipsius voluntatem, neque potest ab vlllo homine tolli, neque minui,





minui, siue restringi. Si quis itaque id, quod alterius est, fraudulenter contrectando in suam potestatem redegerit, remque alienam iniusta possessione retinuerit, rei dominus quandocumque voluerit, possessori iniusto rem suam potest eripere secundum ius, quo ipse pollet, de suae rei possessione quemlibet detentorem deiiciendi. Quae quidem quum ita sese habeant, facile est ad intelligendum, quam diuersa ratione dominorum ius, quo rem suam vindicant, homines actionum forensium ignaros inter atque ciues iudiciis praemunitos sit constitutum. HVGONI enim GROTTIO\*), et quis cum tali auctore hac de re minus consentiet? quot actionum forensium esse solent in ciuitate, totidem fontes videntur esse belli, vbi iudicia deficiunt. Instituitur scilicet rei vindicatio, vbi lis ad forum deduci non potest, bello, hoc est, vi armisque contra iniustum possessorem restitutionem rei possessae denegantem. Vbi autem iudicia non defunt, vti in ciuitate, id, quod nobis ablatum est, actione petitur coram iudice, vt reddatur. Quoniam dominus legibus naturalibus praesumitur rem suam derelinquere nolle, iusque domini non exstinguitur antea, dominus quam declarauerit, animum domini sese exuere; manifestum est, rei alienae possessorem, simul ac verus rei dominus aduenerit, iure rem detinendi statim excidere, vel, si ab initio se rem alienam detinere intellexerit, tamquam iniuriae reum puniendum esse atque adigendum, vt damnum alteri illatum resarciat. Nemini prae-

C

terea

\*) De Iure B. et P. L. II. Cap. I. §. 2. n. 1.





terea hominum, qui aequalitatis iure vtuntur, praestituere licet temporis spatium, intra quod dominus debeat significare, vtrum rem suam retinere, an derelinquere velit. Fieri porro non potest, vt, vbi ius aequalitatis obtinet, dominorum negligentia ab vlllo homine coerceatur ipsius dominii amissione. Praescriptione igitur, quae est dominii adquisitio per possessionem tempore legitimo continuatam, domini iuribus suis minime priuari possunt secundum Iuris Naturae decreta. Quum tamen, quod Iuri Naturali deest, ciuium conditio postulet, vt Iure ciuili suppleatur, ciuitatisque vel maxime interfit, rerum dominium satis esse certum indubitatumque, ne ex dominii incertitudine lites vix sopiendae in perpetuum exoriantur, neque ii, qui ab eo, qui dominus non est, bona fide acceperunt, ignorantiam, quam vincere non poterant, immerito luan: ciuium, qui res suas intra certum tempus non repetunt, negligentia recte punitur hunc in modum, vt certi temporis rebus a domino recuperandis praefiniti lapsu possessoribus rerum, ab ipsis bona fide possessorum, dominium adiudicetur. Neque est, quod praescriptionem contendamus omni carere iustitia ea propter, quod singuli ciues damno adficiuntur, vt singulis plus adiiciatur, si verum est, vniuersi iuris ciuilibus finem, populi videlicet salutem tranquillitatemque singulorum damno non procurari non posse. Promissione alterum, cui facta est, adipisci facultatem exigendi a promissore, vt datam fidem liberet, liberamque potestatem datae fidei violationem quacumque dolosam vliscendi, leges natura-



naturales docent. Pacta quo magis necessaria sunt ad mutuam rerum communicationem, qua superfedere ciues non possunt, augendam, eo maior auctoritas pactis ex legum naturalium iussu quam sanctissime seruandis iure ciuili concilianda esse videtur. Ciuis ergo, ad dandum faciendumue pactione adstrictus, id, quod debet, praestare detrectans, fidem vel fallere intendens, summae quidem reus est iniuriae, non tamen bello, sed legis actione petendus erit a ciue ipsius iniquitate laeso, cui ius suum, nisi iudicis officio intercedente, persequi non licet. Sic quoque ciuis, postquam adquisiuit facultatem promissum a promissore vt exhibeatur postulandi, a nemine prohibendus erit, quo minus iure suo in promissorem vtatur, vtpote qui, quamuis propria vindicta abstinere debeat, iniuriae querela ad iudicem delata ius suum contra prohibentem optime tueri potest. Eadem ratione, quod homini competit contra hominem promissis non stantem, ius, vi cuius perfidus simili perfidia coercetur, in subsidium vocari minime potest a ciuibus, quorum saluti iudicia constituta legisque actiones proditae satis prospiciunt. \*) Quam parum enim cognita foret fidei sanctitas iis ciuibus, quibus licitum esset sub perfidiae puniendae, obtentu, prouti libet, sese inuicem fraudibus deludere? Quoniam homines, quod ad iura pertinet connata, summa aequalitate gaudent, nullusque hominum maioris vel minoris haberi potest libertatis; omnibus hominibus ius est de operis rebusque suis

C 2

decer-

\*) SAM. PFFENDORF. Iur. Nat. et Gent. L. V. Cap. XI. §. 9.





decernendi quidquid velint, ideoque nullius est hominum curare, quid alii agant, vtrum bene, an male sibi consulant; res vero suas profundendo dissipantibus ab vlllo homine libera rerum suarum administratione interdici non potest, siquidem homines, nullo modo confociati, opum suarum abusu non necesse est, vt statim alterum laedant. Ciues copiarum suarum prodigi, si nimia largitione bonorumque dilapidatione ad incitas redacti fuerint, molestissimi esse solent reipublicae, quippe qui nihil habent, vnde viuant, neque, rerum cunctarum egeni, vnde sumant, quo publicos sumtus subleuent. Hanc ob causam apud Romanos factum est, vt Lege iam XII. Tabularum curae potestatique agnatorum gentiliumque bona prodigorum subiicerentur; \*) atque a Praetore rebus suis commercioque prodigis interdiceretur. \*\*) Ob eandemque rationem communis adhuc mos obtinet, vt iudicis decreto prodigi, a bonorum suorum administratione remoti, curatores accipiant, sine quorum consensu ipsis neque licet pactum cum aliquo contrahere, neque donandi causa rem aliquam in alterum transferre. Pacta, quae aleam continent, sicuti ludi, in quibus fortuna praedominatur, Lotaria Ollaque fortunae, vt vocant, legibus naturalibus minus reprobantur, quam suslinentur, quia hisce legibus nefas non est, quocunque modo placuerit, rem suam familiarem plane

cx-

\*) Apud IOAN. NICOL. FVNCIIVM Tab. V. L. VII. *Sei Furiolos aut Prodicos ecclisiat, ast oleae Coustos nec escit, Adcnatorum Centeiliumque endo eo pecuniaque eius potestas estod.*

\*\*) Cf. PAVLI Receptar. Sententiar. L. III. Tit. IV. §. 7.



exhauriendo disperdere. Ciuitate autem supposita, ciues quoque ponuntur, quos oportet studere peculio comparando, conseruando atque augendo, quo melius ipsi publicis oneribus idonei sint perferendis. Multum itaque interest reipublicae, ne quis rem suam ludis, qui fortuna magis, quam ingenio, reguntur, profundat; ideoque ciuitatum rectoribus quam diligentissime dispiciendum est, quousque ludi ciuibus permitti possint. \*) Romani certe aleae ludum, ceu fraudis, mendacii, periurii, odiorumque causam, turpissimis rebus quoniam adcesebant, plus quam vna lege vetuerunt, q. HORATIO FLACCO teste.\*\*\*) Res controuersas duellorum euentui a singulis hominibus decidendas committi posse, vel ex eo patet, quod propter iurium aequalitatem homines, vi naturae natiuitatisque suae iudicibus minime subditi, bello armisque si caueant, ne ius suum, quamuis dubium, sibi auferatur, quoque facilius lis transactione componatur, iniuriae inculari non possunt. Quin etiam conuentionem de lite per singularis certaminis exitum dirimenda, PVPENDORFIVS \*\*\*) statuit, legibus naturalibus haud aduersari, si sponte ineatur, eidemque adiiciatur conditio: occidere aut occidi, vi cuius fieri non possit, quin vterque paciscentium periculosam in pugnam iuste descendat, occisorque alterius a reparatione damni, quod vxor liberique ex illa caede acceperint, liberetur.

\*) Cf. SAM. PVPENDORF. Iur. Nat. et Gent. L. V. Cap. IX. §. 5. NICOL. HIERON. GVDLING Discours über das Natur- und Völkerrecht pag. 305.

\*\*\*) Carm. L. III. XXIV. v. 58.

\*\*\*\*) Iur. Nat. et Gent. L. V. C. IX. §. 3.





beretur. Nihilominus tamen, ex eiusdem auctoris sententia, duella, a ciuibus proprio ausu suscepta, quum directe repugnent fini iudiciorum ciuiliu, tranquillitatemque publicam turbent, grauissimis poenis necesse est, vt coerceantur. Non desunt itaque in ciuitate, quibus ius paciscendi adimi possit; itidemque omnia pacta sine vilo discrimine vix possunt admitti, ne ex vno alteroue respública detrimenti quid capiat. Secundum libertatem naturalem cuiilibet hominum fas est, rebus operisque suis quantumcunque statuere pretium, ideoque quodcunque adhibere, ex quo res operaeque suae aestimari possint. Licet porro hominibus, vi libertatis naturalis, adprobare, vel reiicere pretium, quod alii rebus operisque suis posuerunt; ideoque consentiendo pretium definire sola conuentione adhuc definiendum. Vbi autem, sicuti in ciuitate, res aliqua deprehenditur omnibus rebus operisque substituenda, pecuniae nomine insignita, liberum amplius non est, quodcunque placet adsumere, quo certum rerum operarumque pretium constituatur, quum pecunia, cuiusnam pretii sint res, quae in commercium veniunt, satis iam monstret. Huc adcedit, vt ciuitati eiusue rectori data sit potestas pretium rebus operisque vitae maxime necessariis praesituendi; vnde exoritur pretium, quod dicitur legale, liberam rerum operarumque aestimationem valde restringens. Vsurā, seu compensatio vsus rei mutuo datae iure Naturae a mercede quum nullo modo differat, mercedem vero, siue pretium pro rei commodatae vsu penes dominum sit, definire:



nire: sequitur, modum vsurae secundum legum naturalium iussa nullum esse praeter eum, qui rei mutuo datae domino placuerit. Quoniam vero libertas per immodicam vsuram pecunias suas auferendi creberrima causa fieri potest seditionum discordiarumque; causa inopiae egestatisque plurimos ciues opprimendis: vsurae pro diuersa cuiuslibet reipublicae conditione vel in totum recte prohibentur a republica eiusue rectore, vel locupletium ciuium libido sanctione, ne quis certum ultra modum foenus exigat, optime cohibetur. Ita apud Romanos XII. Tabulis sanctum fuisse, ne quis vnq;ario foenore amplius exerceret, a) postea vetitam fuisse vsuram, id est vsuram, ea scilicet lege, quam LVCIVM GENVCIVM ad populum tulisse LIVIVS testatur, b) TIBERIVM autem sine vsuris mutuandi copiam fecisse per triennium; c. CORNELIVS TACITVS refert. c) Homines, qui libertate naturali vtuntur, pignore vel hypotheca a debitorum fraudibus quoniam vix fiunt securiores, minus eos oportet curare, vt pignoris traditione, vel rei cuiusdam immobilis, solutione non facta, tradendae promissione ad debitum reddendum debitores compellantur. Quod enim PVFENDORFVS d) de nuda assignatione boni cuiusdam immobilis, vnde

a) TACITI Annal. L. VI. c. 16. Apud IOAN. NICOL. FVNCIVM Tab. III. L. II. *Vncia si od fenos ed nei quips amplius esfercet od, sei quips aliuta facit, quadruplioned poinam luit od.*

b) Histor. L. VII. c. 42.

c) Annal. L. VI. Cap. XVII.

d) Iur. Nat. et Gent. L. V. Cap. X. §. 16.





creditori satisfieri possit, statuit, utpote qui persuasum sibi habet, hypotheca constituta vix utilitatis aliquid adferri iis, quibus fas est, bona debitoris soluere reuuentis vi et armis inuadere, idem cur minus adfirmandum sit de re pignoris loco creditori tradenda, ego quidem non intelligo. Inter ciues, eiusdem rei publicae propter frequentem necessitatem aes alienum contrahendi, cuius solutio non semper fieri solet die praescripto, iudiciorumque constitutorum auctoritatem, qua creditores vi armisque ius suum contra debitores persequi prohibentur, dubitari non potest, quin pignore atque hypotheca haud leue contineatur securitatis subsidium, quod creditoribus optime prospici possit. Nemini hominum secundum libertatem naturalem adiudicari potest facultas lites alienas cognoscendi sententiaque sua componendi. Quisquis ergo inter homines in statu naturali existentes iudicis potestatem sibi adrogat, vel iura laedit humanitatis, vel duorum pluriumue pacto electus esse debet, qui ipsorum litem sententia sua dirimat, quum ad vnum omnes antea, res suas controuersas alteri sponte quam detulerint, ad alterius sententiam sese adcommo-  
 dare haud obligentur. Ciues, qui plane destituuntur potestate iudices eligendi, subsunt potius iudicibus a ciuitate eiusue rectore constitutis, eo consilio, ut ciuium causas controuersas cognoscendo, sententias, quibus lites decidi possint, ferendo, reique iudicatae vigorem ad effectum producendo efficiunt, ut ciuium cuique ius suum tribuatur. Homines, quorum auxilium neque in ciuitate, neque in  
 principi



principe positum est, insidias machinationesque molientem nihil obstat, quo minus eo redigant, ut nocere non possit, quorumcunque autem malorum comminatione infictioneue, ipsi ut ab iniuriae iam iam illatae redintegratione securi in posterum uiuant, damni reparationem petant: ita etiam adgressoris impetum legitima sui ipsius defensione repellunt, et si nullum aliud vitae corporisque conseruandi sufficiat subsidium, ipsius adgressoris interneccione quieti tranquillitatieque suae stabiliendae optimo iure student. Quid de iure ciuis laesi contra ciuem laedentem statuendum sit, patet ex ea, qua ciuitas, princeps iudicesque pollent, potestate ciuibus contra nequissimorum ciuium fraudes iniuriasque subueniendi. Quam ob causam omne ius securitatem suam tuendi, quo ciues vtuntur, vnica procul dubio comprehendi potest regula: pacem damnique dati reparationem ciuitatis, vbi haberi potest, auxilio; si vero contra summum vitae periculum illius auxilium impetrari non possit, nullaque alia superfit ratio expediendae salutis, tunc demum cum ipsius iniusti adgressoris interneccione, propria manu quaerendam esse, praecipiente. \*)

\*) Cf. NICOL, HIERON, GYNDLING Iur. Nat. et Gent. Cap. X. §. 1. et 2.



## FRIDERICVS GVILIELMVS GRAHL

**W**aldkirchae, anno h. f. XLII. die XXXI. Octobr. natus, patrem habuit *M. Christianum Fridericum*, Pastorem Ecclesiae Waldkirchenfis fidelissimum, matrem vero *Ioannam Sophiam*, e gente Meniussiana. Aetate paullo adulta, scholam nouae urbis ad Dresdam anno h. f. LIV. adiit, vbi per octo circiter annos optime instructus est a patruelo suo *Grahljo* Cantore, et *Beckero* Rectore. Anno h. f. LXII. Lipsiam, sedem bonarum artium celeberrimam, quum sese contulisset, in numerum ciuium academicorum receptus est ab *Hundertmarkio*, Rectore tum temporis Magnifico. Praelectionibus philosophicis, mathematicis et historicis doctissimorum virorum, *Ernestii*, *Crusii*, *Winkleri*, *Gellertii*, *Burfscheri*, *Schmidii* et *Funkii* priuatis publicisque diligenter interfuit. Theologiae doctoribus vsus est *Crusio*, *Ernestio*, *Stemlero*, *Bahratio*, *Richtero*, *Tulemanno*. Tam praeceptorum, quam singularis beneuolentiae documentorum, quibus exornatus est a *M. Georgio Ernesto Hebenstzeit*, Conc. Vesp. ad aed. Acad. memoriam gratissima mente recolit. Die XXIII. Octobr. anno h. f. LXVII. examen Candidatis Theologiae subeundum superauit, animamque deinde ad ministerii sacri exercitationes adpulsit. Substitutus denique Pastoris Waldkirchenfis spartam anno h. f. LXXI. nactus, quum pater suus anno h. f. LXXXIII. pro merito declaratus non multo post vita decessisset, a Serenissimo ac Indulgentissimo Principe Electore Saxoniae ipse Pastor Ecclesiae Waldkirchenfis constitutus est. Summos, quos anno h. f. LXXXVIII. adpetebat, philosophiae honores a Philosophorum Ordine Vitebergensi impetrauit d. XIII. Februar.

ERD-



## ERDMANN HERRLICH

Microwangeni, qui vicus in Thuringia situs est, die IX. Mai. anno h. f. LIV. natus est parentibus M. *Ioanne Christiano*, Ecclesiae Microwangenenfis Pastore, et *Dorothea Regina*, e gente Pfothenhaueriana. Quintum et decimum aetatis annum agens ad Orphanotropheum, quod Halae floret, a patre deductus est. Ibi quinquennium commoratus, litteris humanioribus summam nauavit operam, auspice, praeter alios, *Knappio*, celeberrimo nunc Academiae Halensis Doctore et Professore Publico. Anno h. f. LXXXIV. ciuibus reipublicae litterariae Lipsiensis adscriptus, praelectiones *Ernesii* theologicas, *Bosseckii* et *Dathii* hebraicas, *Seydlitii* philosophicas frequentauit. Audiendo discendoque vix quum triennium transegisset, Lipsia discessit et ad amicum sese contulit, eo consilio, vt ipsius liberos institueret. Biennio post Friburgum migravit, ibique pueris educandis sex annorum spatium absumsit. Anno h. f. LXXXII. coram supremo concilio ecclesiastico Dresdensi pro Candidatura examinatus, Leucopetram profectus est, vbi biennio elapso ab oppidano Magistratu Subdiaconus ad aedem B. M. Virgin. designatus est. Ipsi denique, omni humanitatis genere ornatissimo, Magistri dignitatem cupienti Philosophorum Ordo Vitebergensis adnuat d. X. Febr.

## PHILIPPVS FRIDERICVS GAMPERT

Swinfurtensis, anno h. f. LXIV. natus, *Ioannis Caroli*, mercatoris et senatoris Swinfurtensis, et *Sibyllae Margarethae*, e gente Grasmuckia, oriundae, filius, idoneis vsus est praeceptoribus antea, scholas quam adit eruditissimis doctoribus insignes. Postea lenam adcessit, Rectore *Wiedeburgo*, ibique auditor adfuit diligentissimus *Griesbachio*, *Döderleinto*, *Eichhornio*, *Schwezio*, *Vhrichio*, *Heinrichio* et *Hallero*, Theologiae, Philosophiae humaniorum-





que litterarum principia docentibus. Ibi quum per biennium theologiae studio sese dedidisset, Lipsiam petiit, vbi, *Moro* Rectore Magnifico, ciuitatem academicam adeptus, praelectionibus interfuit *Reizii*, *Platneri*, *Hindeburgi*, *Iunkii*, *Beckii*, *Bieneri*, *Keilii*. Exacto studiorum academicorum curriculo, in patriam redeunti obtigit, vt munus pomeridianas conciones ad populum habendi ipsi demandaretur. Summos denique Philosophiae honores ambiens doctrinam quum Philosophorum Ordini Virebergensi satis probasset, commentationis *de ortu amicitiae* exhibita, Philosophiae Doctor et liberalium artium Magister creatus est d. VI. Februarii, anno h. f. LXXXVII.

### IOANNES FRIDERICVS FIEDLER

Lipsiae anno h. f. LXII. natus, patrem habuit *Ioannem*, mercatorem honestissimum, atque matrem, quam, patre praematura morte erepto, supersitem adhuc veneratur, Fischeriam natam. Ab ineunte aetate traditus est praeceptoribus tam domesticis, quam iis, qui scholae Thomanae classibus inferioribus praesunt. Anno aetatis XIV. transit in scholam Electoralem Grimmanam, vbi nactus est praeceptores eruditionis sapientiaeque laude florantissimos, *Krebsium*, *Mückium*, *Hofmannum*, *Reichardum*, *Richterum* et *Fleischerum*. Quinquennio in illa schola transacto, anno h. f. LXXXII. Lipsiam redux, a *Funkio* Rectore inter ciues academicos relatus est. Dilectissimae matris liberalitas studiorum moderatorem ipsi adiunxit *M. Dinterum*, virum egregium, cuius memoriam non nisi cum vita depositurus est. Auditor addidit *Platnero* philosophiam tradenti atque anthropologiam; *Seidlitio* Logicem atque Metaphysicem explicanti; *Reizio* et *Beckio* graecos latinosque auctores interpretantibus; *Gehlero* Mathefin docenti. Historiam vniuersalem et patriam didicit ab *Hilfchero*; historiam vero ecclesiae Christianae eiusque dogmatum a *Beckio*.



*chio. Dathio et Schleusnero*, nunc Professori Gottingensi, debet Vetus Testamentum; *Moro*, cuius praelectiones exegeticas et dogmaticas per quatuor annos frequentauit, Nouum Testamentum interpretandi artem. Adiit quoque scholas polemicas *Schwarzii*, itidemque physicas *Ludwigii*. Anno h. f. LXXXVI. subiit Dresdae examen, quo sacrarum litterarum cultores explorantur, an sint munere aliquo ecclesiastico digni, ita, vt Candidatis Rev. Ministerii adscriberetur. Philosophorum denique Ordini Vitebergenſi doctrinae suae specimen *de reſta eaque philosophica ratione explorandi fidem veterum historicorum* edidit, rogans, vt summi Philosophiae honores sibi tribuantur. Concessimus igitur ipsi Philosophiae Doctoris dignitatem quam lubentissime d. III. Febr. anno h. f. LXXXVIII.

### SAMVEL POLYCARPVS PETSCHÉ

Geyero - Misnicus natus est anno h. f. LXIV. patre *Christiano Gottlob* sacrorum ecclesiae Geyeranae curatore, et matre *Dorothea Sophia Werneria*, nepte *Rohrenſeii*, Professoris quondam celeberrimi in Academia Vitebergenſi. Primis religionis cognitionisque humanae elementis ab ipsis parentibus institutus, anno h. f. LXXXIV. pater suus quum Gloesam ad sacra ibi procuranda euocatus esset, traditus est *Diterico* domestico magistro fidelissimo. Anno h. f. LXXXVII. missus est a patre in Lyceum, quod Chemnitii floret, vbi eruditus est ab *Hagero*, hoc autem mortuo, *Rothio* Rectore et *Lessingio* Conrectore. Anno LXXX. scholam adiit, quae Lipsiae est, Thomanam, ibique praeceptores nactus est praestantissimos, *Hoffmannum*, *Thiemium*, *Fischerum*; quorum curae doctrinaeque quam plurimum debet. Anno h. f. LXXXIII. adcessit ad litterarum vniuersitatem Lipsiensem, operamque dedit Logicae, Metaphysicae, Aestheticae atque philosophiae morali addiscendae *Platnero* duce; *Matthesi* et *Physicae*





*Gehleri* auspiciis et *Kühnii*. Audiuit *Reizium* veteres auctores explicantem; *Beckium* historiam Catholicam et Ecclesiasticam enarrantem; *Burfcherum* sacrorum restauratorum historiam exponentem. Exegeſin, Theologiam dogmaticam atque moralem didicit a *Moro*, *Schwarzio*, *Dathio* et *Schleusnero*. Scholis haud defuit *Schleusneri* et *Palmeri* in exercitationibus homileticis, *Rosenmülleri* autem in praeceptis catecheticis. Anno h. f. LXXXVII Dresdae ſolemni examine non ſine laude ſuperato, in numerum Candidatorum Rev. Miniſterii relatus eſt. A Philoſophorum Ordine Vitebergensi, quum eodem anno petiſſet, ut philoſophiae laurea ornaretur doctrinamque ſuam commentatione ſuper loco i *Petri C. V. v. 8. 9.* propolita ſatis commonſtraſſet, factum eſt, ut Philoſophiae Doctoris honore augetur d. XIX. Decembr.

### HENRICVS AVGVSTVS REINHOLD

Patriam nactus eſt Delitium, vbi pater M. *Ioannes Auguſtus*, Archidiaconus, eum anno h. f. LXV. ſuſcepit ex *Henrica Sophia*, *Jägeri* Paſtoris Golmicenſis filia. Ab his parentibus honeſte educatus, traditus eſt ſcholae oppidanae praeceptoribus, quibus omnibus multum, *Bergero* tamen Reſtori plurimum ſeſe debere, gratus fatetur. Annum aetatis XIII. egreſſus, deductus eſt ad Electoralem ſcholam Grimmanam, vbi omnibus rebus, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari ſolet, imbutus eſt diligentia maximopere laudanda celeberrimorum virorum *Mückii*, *Hofmanni*, *Reichardi*, *Richteri* ac venerandi *Kreſſii*. Sexennio hic exacto, anno h. f. LXXXIV. adiit academiam Lipſienſem, *Wenkio* Reſtore, ab eodemque in numerum civium academicorum relatus, in philoſophia ſequutus eſt *Seidlitium* et *Platnerum*, in mathematicis diſciplinis *Gehlerum*; latinitati elegantiori ſtudit, praeceunte *Erneſtio*, medicinae diaeteticae, *Franzio*. Audi-



Auditor fuit *Beckii* historiam catholicam enarrantis non minus, quam *Rosenmülleri* historiam ecclesiasticam docentis. Theologiae dogmaticae perinde atque moralis artisque Nouum Testamentum interpretandi magistrum habuit *Morum*; linguae hebraicae *Dathium*. Neque defuit praelectionibus *Schwarzii*, *Scharfenbergii*, *Schleusneri* et *Wielandii*. Ita per tres et quod excurrit annos, munificentia Indulgentissimi et Serenissimi Principis Electoris Saxoniae, beneficiis Senatus Delitiensis, paternoque animo patrum valde suspiciendi sustentatus, haud infelici successu in litteras incubuit. Anno h. f. LXXXVII. solempni examine feliciter superato, a Senatu Ecelesiastico Dresdensi Rev. Ministerii Candidatis adnumeratus est. Insequenti vero anno Philosophorum Ordinem Vitebergensem precibus adiit, vt summi Philosophiae honores sibi tribuerentur, insimulque *primas lineas historiae philosophicae* adiecit ceu documentum eruditionis. Dignus igitur iudicatus est, qui Philosophiae Doctor renunciaretur die XXX. Ianuar.

### IOANNES CHRISTIANVS WERTHER

Biebra-Thuringus, natus est anno h. f. LVII. *Ioannis* mercenarii filius. Ab anno aetatis quinto primis religionis ac graecae latinaeque linguae rudimentis imbutus est a *Zeigermanno* et *Mosigio*, scholae oppidanae praeceptoribus. XIV. annos natus, sese contulit Numburgum, vbi per octo annos a *Geislero* mercatore, sicuti a *Saupio* Cantore ad aedem Othmar. ornatus est quam plurimis beneficiis, institutione vero vsus est *Reichenbachii* Collaboratoris, *Meyeri*, *Koebitii*, *Titii*, *Adleri*, *Braunii* et *Lobeckii*. Accessit deinde anno h. f. LXXIX. ad litterarum vniuersitatem Lipsiensem, ibique ius ciuitatis consequutus est, *Pohlio* fasces tum tenente. Theologiae studiis quamuis operam daturus, humaniores tamen litteras haud negligens Philosophiae praecepta hausit





fit a *Zeanzigero*; graecorum latinorumque auctorum explicatio-  
nem a *Moro*, *Ernesio*, *Eckio*, *Pezoldio*, *Loesnero*, *Körnero*, *Wol-  
fio*; historiae vniuersalis, historiae ecclesiasticae restauratorum-  
que sacrorum cognitionem a *Burschero*. Theologiae addiscen-  
dae caussa pependit ab ore *Körneri*, *Schwarzii*, *Burscheri* et *He-  
benstreitii*. Prudentiam pastorem, interpretationemque libro-  
rum symbolicorum accepit a *Körnero* et *Hebenstreitio*. Ius Cano-  
nicum didicit a *Winklero*; artem pro concione dicendi a *Seydli-  
tio* et *Schwarzio*. Examinatoriis scholis et catecheticis *Weberi*;  
hebraicis *Bosseckii* diligenter interfuit. Adsedit quoque *Wielan-  
dio* et *Hebenstreitio* morum praecepta tradentibus, itemque *Zean-  
zigero* Matheseos praecepta docenti. Munificentiam *Bosseckii*,  
et *Görlikii* popinarii benevolentiam, quae ipsius studium littera-  
rum aluit atque adiuuit, non laudare non potest. Gratissima  
quoque praedicat mente singularem matronae generosissimae  
*Mariae Augustae Mülleriae* liberalitatem humanitatemque, quam  
expertus est vsque ad annum h. f. LXXXIII. quo Cantor factus  
est *Friderico-Stadtii* prope *Dresdam*. Summos denique Philo-  
sophiae honores quum rite ambiisset a. h. f. LXXXVIII. Magiste-  
rii dignitatem consequutus est d. II. Mart.

### GOTTLÖB FRIDERICVS TEVCHER

In lucem editus est anno h. f. LII. *Langenbaciai* non procul a  
*Schneeberga*. Pater ipsius ludimagister, nunc Cantor *Bernsdor-  
fi*, qui vicus situs est in terra *Schönburgenfi*, religionis libera-  
liumque artium elementa filium docuit vsque ad annum aetatis  
decimum quintum. Hic autem quum variis impediretur nego-  
tiis, quo minus vltiorem filio suppeditaret institutionem, fa-  
ctum est, vt anno h. f. LXVII. filium traderet *Gymnasio Chem-  
nitienfi*, vbi vsus est praeceptore eruditione florentissimo *Hage-  
ro*, huius *Gymnasii* rectore, per nouem fere annos. Reipublicae  
litte-



litterariae Lipsiensis ciuibus adscriptus anno h. f. LXXVI. litteris, quae ad humanitatem spectant, haud neglectis, Iurisprudentiae potissimum studuit, praeceuntibus viris doctissimis ac Iurium consultissimis, *Bauero, Sammetio, Breuningio et Zollero*. Vteruditionis qualiscunque sibi comparatae aliquod ederet specimen, a. h. f. LXXVIII. publice dissentientibus respondit, *Breuningio* praefide. Ab illustri ICtorum Lipsiensium Ordine ad examen pro candidatura et praxi admissus, dignus iudicatus est, qui Iuris Vtriusque Candidatis adiungeretur, neque multo post Notarii Publici Caesarei obtinuit dignitatem. Posthaec a. h. f. LXXXVIII. petiit a Philosophorum Ordine Vitebergensi, vt Philosophiae laurea sibi conferretur, praemiumque virtutis doctrinaeque suae tulit d. XXIII. Mart.

### CHRISTIANVS GOTTHOLD VOGEL

Delitii natus est anno h. f. LXIII. patre *Ioanne Carolo*, puellarum magistro, et matre *Maria Dorothea Polzia*. Religionis litterarumque initia hausit ab ipso patre et a magistris scholae Delitienfis. *Bergeri*, huius scholae Reſtoris, nunc vero Paſtoris Zſcherntienſis, cura conſiliisque ita eſt inſtitutus, vt ſcholae Thomanae, quae Lipſiae floret, inter alumnos relatus, non ſine fructu vteretur doctiſſimis praeceptoribus *Krigelio, Hofmannio, Thiemio et Fiſchero*. Ciuitatem academicam, *Wenkio* Reſtore, adeptus anno h. f. LXXXIV. in Philoſophia doctores habuit *Seiditium et Platnerum*, in Matheli *Gehlerum*. Hiſtoricam catholicam didicit a *Beckio*, et eccleſiaſticam a *Burſchero et Roſenmüllerero*. Audiuit *Schwarzium* et *Pezoldium* theologiam dogmaticam tradentes. Interpretationem Veteris Nouique Teſtamenti accepit a *Schwarzio, Moro, Roſenmüllerero, Dathio, Wolfio, Scharſenbergio, Schleuſnero et Palmerio*. Vitae academicae curriculum emenſus, a ſummo ſenatu eccleſiaſtico Dreſdenſi, ſolemne quum felici-

E

ter





ter superasset examen, in numerum Candidatorum Rev. Ministerii receptus est. Huic litteris doctrinaque praestantissimo, quos cupierat, tributi sunt a Philosophorum Ordine Vitebergensi summi Philosophiae honores d. XXIII. Ian. anno h. f. LXXXVIII.

### FRIDERICVS CAROLVS ZERCHIVS

Wernsdorfii prope Hubertoburgum progenitus est a. h. f. LXIII. ex patre *Carolo Theophilo*, sylvariorum praefecto, et matre *Friederica Wilhelmina Augusta*, e gente *Lorenzia*. Primis religionis litterarumque initiis imbutus est a praceptoribus domesticis, donec bene praeparatus, anno h. f. LXXVII. in scholam transfret Electoralem Grimmanam, cuius magistris, *Krebsio*, *Mückio*, *Hofmanno*, *Reichardo*, *Richtero* et *Hochmuthio* usus est per integrum sexennium. Postea, quum academiam Lipsiensem adcessisset a. h. f. LXXXIII. *Platnero* Rectore, in Philosophia sequutus est *Seidlitzium*, *Platnerum* et *Wielandium*; litteris humanioribus operam impendit quam maximam, viris praecuntibus eruditissimis, *Reizio*, *Clodio*, *Ernestio*. Theologiae dogmaticae et exegeticae addiscendae causa adfedit *Schwarzio*. Adfuit quoque *Moro* libros Novi Testamenti explicanti aequae ac Theologiam moralem doctenti; *Rosenmüllero* catecheticas, et *Pezoldio* homileticas exercitationes instituenti. Historiam ecclesiasticam accepit a *Burschero*, Veterisque Testamenti explanationem a *Dathio* et *Bosseckio*. Per omnem vitae academicae decursum non solum Principis Electoris Saxoniae munificentia, sed etiam Comitissae a *Vitzthum* benignitate, quod sustentatus fuerit, valde adhuc laetatur. Consultissimi praeterea *Lorenzii*, nobilissimique *Adleri* tam multis exhilaratus est beneficiis, ut eorum memoria obliuione deleri non possit. Exacto itaque feliciter triennio, examini coram Senatu supremo Ecclesiastico Dresdensi sese subiecit, idque sustinuit



nuit adeo, vt inter Candidatos Rev. Ministerii referretur. Ob ingenii vires doctrina sapientiaque bene subactas, Philosophiae Doctoris iura Philosophorum Ordo Vitebergensis ipsi lubentissime largitus est anno h. f. LXXXVIII. d. XXIII. Mart.

### IOANNES CHRISTOPHORVS RITSCHER

Dresdae natus est, a. h. f. LXVII. patre *Ioanne Christophoro*, cereuisiae coctore, et matre *Christiana Eleonora*, e gente Beyeria. Pater ipsius sedulo fideliterque curauit, vt primis litterarum rudimentis satis prius institueretur, quam in scholam, quae dicitur ad S. Crucem, deduceretur. Cui quidem scholae traditus, optimos habuit magistros, *Graeuum, Homilium, Haenischelium, Beutlerum* atque *Olpium*; insimulque doctores latinae, graecae, ebraicaeque linguae domesticos. Hic quum anno h. f. LXXXIV. Theologiae studia vt proficeretur, Lipsiam sese contulisset, *Wenkio* Rectore, praelectionibus *Reizii* atque *Beckii* philologicis non sine maxima voluptate atque vtilitate interfuit. Mathematicis praecipis eum imbuit *Gehlerus*; Philosophiae studio *Seiditi* atque *Platnerus*; Historiae vniuersalis atque ecclesiasticae cognitione *Beckius*. Maximam vtilitatem percepit ex scholis exegeticis *Schleusnerii, Waldii, Forbigeri, Dathii, Rosenmülleri* et *Mori*, dogmaticis et ad vniuersam Theologiam pertinentibus; sicuti ex *Schottii* praelectionibus, quibus ius tradidit canonicum. Iam quum in eo esset, vt Lipsia discederet, summos Philosophiae petiit a Philosophorum Ordine Vitebergensi, cui dignus est visus, qui iisdem exornaretur anno h. f. LXXXVIII. d. XX. Ian.

### BENIAMIN PASSOVIUS

Swertino-Polonus, editus est, anno h. f. LXVI. probis ac honestis parentibus. Religionis litterarumque elementis institu-





tus, anno aetatis XIV. scholam adcessit Gubenensem, ibique quinque annos et quod excurrit transegit. Magistros hic nactus est *Thierbachium*, *Döringium*, nunc Gymnasia Gothani Directorem, et *M. Böttigerum*, probitate ingeniique excellentia valde conspicuos. Auxilio et fauore hic usus est plurimum, maxime autem *Horstgii*, *Laurisi* et *Kletschkii*. Lipsiam postquam adcessit, ut Theologiae studio vacaret, exegetin didicit a *Moro*; religionis historiam a *Rosenmüllero*; historiam litterariam ab *Eckio*; theologiam dogmaticam aequae ac historiam vniuersalem a *Beckio*, cuius humanitati multum sese debere, grato animo profiteretur. Philosophiae Doctoris dignitatem adpetens, ingenii doctrinaeque urbanitatem Philosophorum Ordini Vitebergensi commentatione *de vitae rusticae praesantia* comprobauit adeo, ut Philosophiae Doctor liberaliumque artium Magister renunciaretur anno h. f. LXXXVIII. d. XIII. Februar.

### CAROLVS GOTTHOLD MEHNER

Augustoburgi, quod oppidum Chemnitio vicinum alias dicitur Schellenberga, anno h. f. LXIV. natus est patre *Carolo Augusto*, lanae linique textore, et matre *Dorothea Friderica Schneideria*. Anno aetatis quinto tradebatur *M. Strobachio*, scholae et chori oppidani Directori, ut religionis praecipue elementis erudiretur. Non multo post placuit *Melzero*, Praefuli Chemnitienfi adiuncto et Augustoburgi ad arcis aedem sacrorum antistiti meritissimo, ipsum adscribere numero discipulorum cantus quaestum facientium, summaque liberalitate ac benignitate adiuuare. Anno h. f. LXXXVII. quum Dresdam iter fecisset patre comite, in scholae cruceanae alumnorum numerum receptus, usus est doctoribus, *Olpio*, *Beutlero*, *Haentschelio*, *Kölero* et *Homilio*. Lipsiam deinde sese contulit anno h. f. LXXXVI. *Reizio* Rectore, ibique Noui Testamenti interpretationem accepit a *Moro*, *Rosenmülle-*



*müllero et Wolfio; Veteris Testamenti a Dathio. Theologiam dogmaticam atque moralem hausit a Moro; historiam ecclesiasticam a Rosenmüllero; Psalmorum explicationem ab Hempelio; artem concionandi a Palmio. Philosophiae studuit auspiciis Seydlitii, Platneri et Wielandii; Historiarum studio operam dedit, praeceuntibus Beckio et Hilschero. Philosophia itaque litterisque humanioribus perpolitus, Magisterii honores a Philosophorum Ordine Vitebergensi impetrauit a. h. f. LXXXVIII. d. XVI. Apr.*

### CHRISTIANVS TRAVGOTT NEVMANN

Gorlitii, anno h. f. LXIII. natus, patrem habuit *Christianum Davidem*, sartorem, et matrem *Christianam Dorotheam*, natam Geldneriam. Gymnasii Gorlitienensis alumnus addictus est anno h. f. LXXII. ubi studiis operam impendit quam maximam, ducibus *Baumeistero, Neumanno, Grossero, Hortschanskio et Altenbergero*, vsque ad annum h. f. LXXXIII. quo academiam Lipsiensem adcessit, cuius ciuibus adscribebatur a *Platnero*, academiae Rectore. Praelectionibus deinde *Pezoldii et Platneri* logicis, metaphysicis et theologicis sedulo interfuit. Audiuit *Morum, Rosenmüllerum, Scharfenbergium et Waldium* Noui Testamenti libros interpretantes. Adfuit quoque *Burschero* minores Veteris Testamenti prophetas illustranti, historiamque ecclesiasticam emendatorumque sacrorum historiam tradenti; linguae autem hebraicae addiscendae causa *Hempelio*. Philosophiae eruditionisque copiis bene instructus, a. h. f. LXXXVIII. decentissimis adiit Philosophorum Ordinem Vitebergensem precibus, vt Magisterii dignitatem sibi impertiretur. Creatus est itaque Philosophiae Doctor d. II. Mart.





## FRIDERICVS GVILIELMVS OEHLER

Schleiza-Variscus, natus est, anno h. f. LXIV. Pater ipse lanificio rem faciebat, donec praefectus militum inferior stipendium meritis per quadraginta annos; deinde autem munificencia Comitum Ruthenorum Henrici XLII. donatus fuerit certa mercede annua. Institutione curaque paterna factum est, ut, quarto aetatis anno vix praeterlapso, Ruthenei, quod Schleizae floret, Gymnasii quinto ordini adderetur. Praeter alios, quibus hic usus est, praeceptores, satis non potest praedicare M. Müllerum, Lycei Numburgensis nunc Directorem, cuius adhortationibus consiliisque excitatus, litterarum vniuersitatem Lipsiensem adiit anno aetatis decimo octauo. Theologiae quamuis operam daturus, scholis tamen philosophicis Seydlitii et Platneri; Mathematicis Gehlerii minime defuit. Historiam catholicam et ecclesiasticam accepit ab Hilschero, Beckio et Burschero. Theologiam dogmaticam, moralem et exegeticam hausit a Moro, Dathio, Burschero, Schwarzio; litteras autem humaniores a Reizio et Beckio. Peracto vitae academicae cursu, vocabatur anno superiore Ileburgum ad Viebigium, iuri in Praefectura Ileburgensi et Dubenensi dicundo praepositum, ut ipsius filium litteris erudiret. Petiit denique anno h. f. LXXXVIII. a Philosophorum Ordine Vitebergensi summos Philosophiae honores, quibus merito exornatus est d. XII. Mart.

FRIDERICVS ADOLPHVS AVGVSTVS  
STOCKMANN

Numburgi natus est, anno h. f. LXIV. patre Adolpho Augusto, eorum, quibus cura rerum militarium per circulum Thuringicum administrandarum commissa est, a secretis, matre Ioanna Regina, e gente Schwedleria, quam praematura morte anno h. f. LXXXII.



LXXII. sibi ereptam adhuc luget. Traditus est primum dome-  
 sticis praeceptoribus, in quibus inprimis *Siegelius*, penes Cizen-  
 ses iam sacrorum minister, non sine grati animi testificatione  
 nominandus venit. Transiit anno h. s. LXXV. in scholam, quae  
 est Numburgi, senatoriam, commendatus potissimum fidei et  
 institutioni *Schützii*, Rectoris longe meritissimi, qui nunc Gy-  
 mnasio Gerano cum laude praest. Hoc auctore prima lingua-  
 rum et disciplinarum elementa accepit a *Traegero*, *Mehmelio*, *Siaf-  
 felio*; ab ipso denique ea omnia, quibus studia deinceps acade-  
 mica superstrueret. Exstitit sane omnium horum virorum tanta  
 in eum fides, industria et benevolentia, ut numquam possit  
 eius mentem sine voluptate subire temporis per integros no-  
 uem annos iucundissime ibi exacti recordatio. Ciuibus aca-  
 demicis iam anno h. s. LXXXI. a *Clodio* Rectore adscriptus, de-  
 latus est anno h. s. LXXXIV. in Lipsiensem litterarum vniuersi-  
 tatem. Per quadriennium hic commoratus, audiit *Gehlerum*,  
 elementa matheoseos; *Seydlitium*, *Caesarem* ac *Platnerum* philoso-  
 phiam tradentes; *Ludwigium* historiam naturalem, hominisque  
 et corporis humani oeconomiam; *Wenkium* atque *Hilseherum* hi-  
 storiam catholicam, imperii germanici, Saxoniam et ecclesia-  
 sticam enarrantes; *Ernestium* iuniorem, *Stockmannum*, fratrem ca-  
 rissimum, *Clodium*, *Reizium* et *Beckium* graecos latinosque scri-  
 ptores explicantes. Ita praeparatus, ad sacra discenda animum  
 adpulit. *Morum*, cuius a sublelliis numquam disceffit, in ex-  
 plicatione librorum sacrorum et theologia dogmatica pariter ac  
 morali sequutus est. In hebraicis doctores ipsius fuerunt *Schar-  
 fenbergius*, *Waldius*, *Dathius*, *Bosseckus*. Lectiones praeterea *Ro-  
 senmülleri* et *Wolfii* exegeticas frequentauit. Adcessit quoque  
*Rauium* historiam Iurisprudentiae Romanae enarrantem et fra-  
 trem Ius Canonicum proponentem. Laudat, quae in hoc aca-  
 demico cursu decurrendo ipsi subuenit, munificentiam Sena-  
 tus Numburgensis, Consistorii Cizensis, Regiminis Saxo-Alten-  
 burgi-



burgici, et, quae primo loco ponenda est, perillustri ac generosissimae gentis Berlepschiae. Anno h. f. LXXXVIII ipsi summos Philosophiae honores rite ambienti a Philosophorum Ordine Vitebergensi Philosophiae Laurea tributa est d. XII. Mart.

### CAROLVS GOTTHELF FISCHER

*Ioannis Christiani*, censui rerum fungibilium, accisā alias dicitur, iurique dicundo praefecto Schkoelenae, quod oppidum est in Thuringia situm, et matris *Christianae Sophiae*, ex gente Andorfia oriundae, filius in lucem editus est anno h. f. LXVI. Optimorum parentum, quorum domicilium nunc Droysgiae prope Cizam est constitutum, cura effecit, vt omnibus rebus, quibus puerilis aetas imbui solet, erudiretur. Traditus est enim magistris domesticis vsque ad decimum aetatis annum. Deinde in numerum recipiebatur discipulorum Scholae Cizensis, ibique non solum publica, sed etiam priuata vsus est institutione *Celbrichtii*, *Schregeri* et *Milkii*. Academiam Vitebergensem, quum adisset anno h. f. LXXXIV. *Zeunio* Rectore, Philosophiam didicit a *Reinhardo* et *Hillero*; Theologiam dogmaticam et pastorem perinde ac Nouum Testamentum interpretandi artem a *Tittmanno*; Theologiam moralem vna cum dogmatica a *Reinhardo*; linguam hebraicam a *Reinhardo* atque *Oertelio*; historiam ecclesiasticam a *Schröklis*. Hac denique litterarum vniuersitate discens, vt aliqua dignitate nobilior factus in patriam rediret, Philosophiae Doctor creari cupiens, a. h. f. LXXXVIII a Philosophorum Ordine summis Philosophiae honoribus auctus est d. XXVI. Mart.

### IOANNES GODOFREDVS MVELLER

Cizae natus anno h. f. LIII. patre vsus est *Ioanne Godofredo*, scholae Cizensis Collega V. nec non Reuerendi Capituli Cizensis oculo,



oculo, et matre *Christiana Dorothea Kretzschmari*, chirurgi aestu-  
matissimi, filia. Ab ineunte aetate scholae episcopali Cizensi  
addictus, eruditus potissimum est ab *Hentschio* et *Schregero*, quos  
maximopere de ipso meritis fuisse, gratus profitetur. Studia de-  
inde academica Lipsiae adgressus, audiuit *Crusum* et *Platnerum*  
Philosophiam docentes; *Ernestium* et *Körnerum* Theologiam et  
historiam ecclesiasticam tradentes. Praelectionibus *Mori* et *Da-  
thii* philologicis, *Böhmeri* historicis diligenter interfuit. *Clodio*  
autem duce, litteris elegantioribus operam dedit. Anno h. f.  
LXXVIII. Leucopetram migravit, ut *Kochii*, Principi Electori  
Saxoniae a Consiliis, Patroni atque Fautoris munificentissimi li-  
beros institueret. Quatuor fere annos ibi commoratus, in pa-  
triam rediit sperans, fore, ut muneri alicui ecclesiastico praefice-  
retur. Haec autem spes eum quum sefellisset, solemne examen  
Dresdae subiit anno h. f. LXXXII. in numerumque Candidato-  
rum Rev. Ministerii receptus, pueris erudiendis puellisque vi-  
ctum per aliquod tempus sibi comparavit, donec in patriam re-  
uocatus ab optimis patronis ad aedem arcis catecheta constitue-  
retur. Magisterii denique anno h. f. LXXXVII. dignitatem rite  
ambienti summi Philosophiae honores collati sunt d. XXIII. Dec.

### CHRISTIANVS ERNESTVS KRENZLER

Numburgensis, anno h. f. LXIV. natus est filius patris *Ioannis  
Gottlieb*, tibialium negotiatoris, et matris *Christianae Sophiae*, e  
gente Ottiana. Hunc optimi parentes a teneris statim tradide-  
runt magistris tam publicis, quam domesticis, *M. Lobeckio*, *Bran-  
nio*, *Dietio*, *Kübitio*, *Mayero* et *Weineckio*. Quorum quidem viro-  
rum cura ad altiores disciplinas fatis praeparatus, quum virum  
plurimum reuerendum *M. Bernhardum*, ad Mauritii in vrbe pa-  
tria templum, nunc Kleinjenae prope Numburgum sacrorum an-  
tistitem, super litterarum vniuersitate, quam petere melius esset,  
F  
consu-





consulisset, huius consiliis commouebatur ita, vt Vitebergam anno h. f. LXXXIV. proficisceretur, vbi a *Zenno* Rectore in numerum ciuium academicorum recipiebatur. Praestantissimos hic sese nactum esse doctores: *Tittmannum, Dresdium, Reinhardum, Weberum, Titium, Schröckhium, Ebertum* et *Ienichenum*, valde laetatur. Tribus annis exactis, a S. R. Consistorio Cizensi examine publico tentatus, numero Rev. Ministerii Candidatorum adiectus est. Antea autem quam de Viteberga Ienam commigraret, Magisterii honores anno h. f. LXXXVIII. adpetens Philosophiae Doctor creatus est d. IX. Mart.

### GOTTLÖB FRIDERICVS FRAENKEL

Numburgi natus anno h. f. LXIV. vsus est patre *Friderico Vitore*, censui rerum fungibilium, quem *accisam* vocant, praefecto, et matre *Köhleria* nata. Parentes, quamuis eorum opes incendio, bello atque annona penitus essent exhaustae, quam enixissime tamen curarunt, vt filius doctissimos fidelissimosque nancisceretur magistros, scholisque Clarissimi *Schützii* et *Staffelii* per nouem annos interesse ei liceret. Rerum cunctarum egenus et aduersa valetudine laborans, anno h. f. LXXXIII. Vitebergam adiit, quum iam antea a *Dresdio* in album litterariae reipublicae Vitebergensis receptus esset. Fortuna itaque aduersa paene opprimebatur, nisi *Dresdii* ac *Leonhardii* munificentia consiliisque adiuuaretur, mox Principis Electoris Saxoniae beneficiis erigeretur, auxilioque fratrum carissimorum subleuaretur; *Dresdium* autem eum dignum censeret, cui famuli munus per triennium demandaret. Hae itaque secundissimae res ipsi addiderunt animum summo studio litteras prosequendi. Audiuit, praeter *Dresdium, Tittmannum, Reinhardum, Weberum* Theologiae discendae gratia, quam diligentissime. Praelectionibus philosophicis *Hilferi* et *Schmidii* non defuit. Physices cognitionem hausit a *Titio*,  
histo-



historiarum a *Schröckhio*, matheseos ab *Eberto*. Ob ingenii, virtutis doctrinaeque praestantiam ipsi, quum anno h. f. LXXXVIII. eos peteret, a Philosophorum Ordine collati sunt summi Philosophiae honores d. XXVII. Ianuar.

### IOANNES FRIDERICVS KAYSER

Egenis, probis tamen parentibus procreatus est Islebiae, anno h. f. LX. Pater ipsius, *Ioannes Christophorus*, beneuolentia viri perillustri ac generosissimi Domini de *Hopfgarten*, ecclesiae cathedralis Numburgensis praepositi, aedituus constitutus est cathedralis, quae Numburgi est, ecclesiae. Sed cheu! vix ille hoc munus obire quum coepisset, hora quinta matutina ad eantem illum, quem horam vocant, instituendum aedem apertens, visione quadam perterritus, apoplexia corripiebatur, vitamque post paucos annos miserrimo modo finiuit. Deducus igitur est filius a matre superstite in orphanotropheum quum septimum ageret annum, ibique sex integros annos posteaquam transegerat, scholam adiit cathedralem Numburgensem, vbi beneficii Viri perillustri Domini de *Hopfgarten* sustentatus, litteris operam nauauit auspiciis *Ritteri*, *Lobeckii* et *Braunii*. Expertus hinc quoque est summam viri perillustri Domini de *Hopfgarten*, ecclesiae cathedralis praepositi filii, supremi Regiminis Dresdenensis Praefidis, benignitatem; munificentiam virorum perillustrium de *Seebach*, quorum alter ecclesiae cathedralis Decani munere fungitur, alter Principi Electori Saxoniae Serenissimo est a consiliis intimis; liberalitatem viri illustri de *Schuroth*, consiliarii intimi, aequae ac *ICTi Orteli*, ciuitatis Numburgensis syndici. Anno h. f. LXXXII. litterarum vniuersitatem Virebergensem adcessit, ibique optimis celeberrimisque vsus est Theologiae doctoribus, *Tittmanno* et *Reinhardo*; historiarum autem magistro excellantissimo *Schröckhio*. Neque hic ipsi defuerunt fautores, qui ipsius





inopiae succurrerent. Quum iam in eo esset, vt Viteberga discederet, anno h. f. LXXXVIII. summos Philosophiae a Philosophorum Ordine impetrauit d. XVII. Febr.

### CAROLINE WETZKE, geb. BAERMANN,

Erblickte das Licht dieser Welt zu Wittenberg am achtzehnten Novembr. 1751. Sie ist die einzige Tochter Herrn *Georg Friedrich Bärmanns*, weiland ordentl. öffentl. Lehrers der höhern Mathematik auf der Univerfität Wittenberg, und Frauen *Erdmuth Tugendreich*, der jüngsten Tochter des im Jahr 1739 verstorbenen Königl. Pohln. Churfürstl. Sächf. Commissionsraths und Chur-Kreis- Amtmanns zu Wittenberg, Herrn D. *Iohann Benedict Carpzous*. Ihre Geschwister starben alle frühzeitig, und so genoss sie, von ihrem achten Jahre an, der alleinigen Unterweisung ihres verehrungswürdigen Vaters. Seine vortreffliche, von dem Maschinenmäßigen des gewöhnlichen Unterrichts so verschiedene, Lehrart zielte ganz dahin ab, ihr Herz zu veredeln und ihren Verstand aufzuhellen. Ergewöhnte sie zum Selbstdenken, und gab ihr Anleitung, sich Kenntnisse von allen den Dingen zu erwerben, die einem Frauenzimmer zu wissen nützlich sind. Diefs alles stärkte in ihr den Trieb zur Litteratur und zu den schönen Wissenschaften; besonders aber zu der Dichtkunst. Viel zu früh für sie, verlor sie diesen zärtlich sorgfamen Vater bereits den 6. Febr. 1769, und mit ihm das Glück, unter seiner weisen Anführung ihre Kenntnisse mehr zu erweitern. In dem stillen, häuslichen Zirkel, in dem sie, von dieser Zeit an, bey ihrer Frau Mutter lebte, blieb ihr, bey ihren weiblichen Berufsgeschäften, Muße genug übrig, ihrem Hange zur Poesie und schönen Litteratur zu folgen, und dann und wann kleine poetische Aufsätze zu versuchen. Eine Beschäftigung, in der sie die schönste Nahrung für ihren Kopf, so wie für





für ihr Herz, fand, und die sie jedem andern Vergnügen und jugendlichen Zeitvertreibe vorzog. Im Jahre 1781 den 31 Jul. verheyraethete sie sich mit Herrn *Christian Friedrich Wetzen*, beyder Rechte Licentiaten, des Hofgerichts und des geistlichen Consistorii Advokaten zu Wittenberg, mit dem sie bis jetzt eine glückliche Ehe führet. Doch selbst auch als Gattin und Mutter fuhr sie fort, manche Stunde der Dichtkunst zu widmen, und verfertigte mehrere, vorzüglich Gelegenheitsgedichte, unter denen die Cantate, welche *die frohen Empfindungen der Schützengesellschaft zu Wittenberg über die Erbauung der neuen Elbbrücke* ausdrückt, und am Augustustage 1787 vor einer zahlreichen Gesellschaft aufgeführt worden ist, dem Publico am meisten bekannt geworden zu seyn scheint. Ob sie nun gleich nie in ihrem Leben auf den Namen einer Dichterin Anspruch gemacht hat, so wiederfuhr ihr dennoch die unverhoffte Ehre, daß die philosophische Fakultät zu Wittenberg sie den 27sten Febr. 1788 zu einer gekrönten Dichterin ernannte.

## CHRISTIANVS GODOFREDVS

ASSMANN

CAROLO FERDINANDO SCHMID

S. P. D.

Quum Tua factis non raro conspicua humanitas nuper ex improviso, tamquam Dea ex machina, prodiret, manu gestans laureati poetae insigne, quo diem meum natalem lactiorem redderet ac solemniozem; prorsus incredibili perfusus sum voluptate, non, quod inferi me vidissem cohorti Apollinis, cuius iuribus ac privilegiis illud quoque annumerari debet, vt plerumque sine Baccho et Cerere frigeat, sed, quod Te, amicissime collega, id agere denuo intellexissem, vt nihil vnquam omittas,

F 3

quo





quo possis sedulam beneuolamque in amicos animi liberalitatem significare. Historiolam igitur vitae meae hucusque peractae Tibi trado, partim, vt Tuae obsequar voluntati, cuius optatis lubentissime satisfacio, partim vt de mea gratissima mente, de firmissimo meo amore, hac opportunitate oblata, Te faciam coram omnibus certiore.

Lipiae natus sum anno MDCCLII. patre *Ioanne Zacharia*, Notar. publ. caesar. senatui ab officiis, matre *Io. Sophia Bauera*, scholae ad Hirschberg. rectoris, de republica litteraria meritisimi, sorore. Quorum optimorum parentum curam, quae mihi numquam defuit, indefessam satis profecto nequeo laudare. Religionis et litterarum elegantiorum elementa praeceptoribus priuatis debeo, *Sperbero* praesertim, sacrorum pagi in Comitatu Beichlingensi nunc curatoris meritissimo; *Reiskium* vero etiam audiui, scholae Nicolaitanae rectorem. Ciuium academico-  
rum numero adscriptus, *Crusio* Rectore, anno MDCCLXVIII. studiorum consiliis adiutus. sum *Ernestio* utroque, *Moro*, *Schotto*, *Winklero* philosopho, *Borzio*, *Funkio*, *Hermanno* scabino, *Hauboldo*, *Gellerto*, *Clodio*, *Oesero*, academiae pictorum moderatore, *Haberfangio* Architecto et aliis, quorum et institutionem et amicitiam mihi contigisse laetus recorder et gloriabundus soleo praedicare. Anno MDCCLXXII. pater mortuus est, quo facto omnis rerum mearum status plane alius esse coepit. Anno MDCCLXXIII. Ill. Iurisconsultorum ordo ad examen pro praxi et pro candidatura, uti vocant, me admisit, et ampliss. Senatus Lipf. ius mihi tribuit tabellionis. Eodem anno illustrissimus Baro de *Gutschmid*, Comes Consistorianus, auctore *Müllero*, consule Lipfensi, Illustrissimae coniugis fratre, me patrocinio suo constantiter fouente, hoc mihi negotium dare constituit, vt liberorumque, natu minorum, erudiendorum curam in me susciperem. Itaque Dresdam me contuli, ibique profecto prosperissimam et iucundissimam meae aetatis partem transegi, fauore, li-  
bera-



beralitate, consilio viri immortalis ornatus, amicitia ac beneuolentia totius eius familiae auctus, qua me nunc quoque, neutriquam immutata, me prosequi vniuersa dignatur. Tres edidi illo tempore libellos, ita inscriptos: *Gemälde der Tugend, Betrachtungen eines Anbetenden, Gedichte meiner Gesinnung.* Cuncta enim tunc quidem congruere videbantur, quae ad canendas naturae, virtutis, amicitiae et laetitiae laudes me impellerent. Cui tempori binos debeo annumerare annos, quos equidem comes filio Illustriss. *Gutschmidii*, natu minimo, nunc caussis metallicis noscendis consiliario, adiunctus, Freybergae omni rei metallicaee, quantae est, colendae atque tractandae impendi. Maximalane afficior voluptate, quoties redit in memoriam amabilis illa familiaritas atque fraterna fides, quae tunc inter nos versari solebat, quoties omnium, quorum ibi amore tenebar, subit recordatio, quoties omniem illam, qua tunc quidem frui licebat, vitae hilaritatem animo reuocare studeo. Constuebant illo tempore Freybergam multi e diuersis gentibus, metallicaee rei discendae causa, inter quos praecipue eminebant duo *Elmhuyariorum* fratres, quorum minorem natu Hispanorum rex Mexicanis metallorum fodinis praefecit. Intercedebat inter nos intima familiaritas, arctissimo mutuae amicitiae vinculo coniunctos. Lacrymans, quod ingenue fateor, studiis iam absolutis, a carissima hac vrbe discessi, multis grauissimisque argumentis permotus, ut in Lusatiam inferiorem me conferrem, curamque mihi demandatam generos. *Patouii* instituendi susciperem. Quam vero multa sese obicerent impedimenta, quo minus rerum ordo iam designatus perfici posset, venia discedendi impetrata, amore tamen carissimi *Patouii* me prosequente, iterum dilectissimi *Gutschmidii* in Academia Lipsi. commorantis anno MDCCLXXXII. amplexum petii, reliquamque eius studiorum viam ac rationem dirigendam sumsi. Adeptus sum eodem anno summos ordinis amplissimi honores, atque libellum, priorem commentationis partem





partem de eruditione metallicorum uniuersa exhibentem; potestatis in academia docendi vindicandae causa propositum, publice defendi. Eodem denique anno *Huelschmanno*, cuius disciplina ego et ipse antehac vltus eram, defuncto, Senatus Lips. me munere ornauit Collegae tertii in schola Nicolaitana, suadente inprimis *Muellero*, consule eiusdemque scholae curatore, multiplici laude conspicuo. Spatio trium annorum decurso, per quos sustinui hanc prouinciam, ipsa edoctus experientia, doctorum scholasticorum conditionem difficillimam esse atque grauissimam, facta est noua rerum commutatio, munere Professoris oeconomiae et disciplinarum cameralium in hac Vitebergensi Academia constituto, mihi quae a Principe nostro Serenissimo, cui Deus vitam largiatur longissimam ac felicissimam, demandato. Anno igitur MDCCLXXXV, ab *Experient. Io. Godofr. Leonhardi* nostrum utriusque amicissimo, tum vero ad clauum reipublicae litterariae sedente, ciuibus academicis, collegisque Professorum ordinariorum additus, ab Excell. *Antonio* autem, tunc temporis ampliff. philosophorum ordinis Decano, quem Lipsiae olim iam amicorum praecipuorum numero habebam, ordini ipsius insertus, nouum hoc meum manus solemnium auspiciatus sum oratione: *de voluptate haud vulgari et studio publicae oeconomiae copienda*, ad eamque audiendam altera Comimentatione *de eruditione uniuersa metallicorum* edita inuitauit.

Vides, Collega mihi coniunctissime, diuersam atque ancipitem interdum fuisse viae, qua progredi debebam, rationem. At vero prouidentiam diuinam semper et vbique vim suam ita ostendere, vt hominis admirationem excitet, perpetuo intellexi. Albis ripam olim mihi fauentem diligere iussus, eam mihi nunc quoque non infensam deprehendisse gratissima mente et possum et debeo praedicare. Occupationum generibus eiusmodi gaudeo, quae sensibus et studiis meis maxime conueniunt. Permulti hic etiam inueniuntur, quorum humanitatem, officiosamque beneuolentiam numquam celebrare desinam. Proxime superiori anno etiam Indulgentissimo Principi nouum liberalitatis in me documentum edere placuit, annua pecunia redditibus meis extra ordinem addita, quo facilius aliquantum numerum in itinera facienda explorandorum montium causa, inque rei metallicaee studium magis magisque augendum, possem impendere. Fruar itaque, quoad fieri poterit, laetus ac hilaris iis, quae sum adeptus; aequo animo obuiam procedam iis, quae mihi euenire iusserit summus omnium moderator. Vitebergae, d. xxviii. Mai. MDCCCLXXXVIII.











Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle  
004 335 899

3




f  
sl.











10189

23

DE  
IVRIBVS SINGVLORVM HOMINVM NA  
TVRALIBVS PROPTER SOCIETATEM  
CIVILEM IMMVTANDIS  
O R A T I O  
IN IPSIS VTRIVSQUE LAVREAE CONFERENDAE  
SOLEMNIBVS

1788

P V B L I C E R E C I T A T A  
V I T I S Q V E  
VIRORVM PLVRIMVM REVERENDORVM CLARISSIMORVM  
ET DOCTISSIMORVM  
QVI PHILOSOPHIAE DOCTORES

RENVNCIATI ET CREATI SVNT  
D. XXX. APRIL. CIO ID CCLXXXVIII  
NEC NON  
MATRONAE ORNATISSIMAE ET VIRI EXCELLENTISSIMI  
DOCTISSIMI AMPLISSIMIQVE

Q V I B V S  
SVMMI POETICES HONORES  
E O D E M D I E  
T R I B V T I S V N T  
P R A E M I S S A  
A  
CAROLO FERDINANDO SCHMID  
PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE MORAL. ET CIVIL. PROF. PVBL. ORD

VITEBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

